



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0551

Sabato 29.10.2005

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL 1° CONGRESSO EUCARISTICO INTERNAZIONALE UNIVERSITARIO (MURCIA, SPAGNA, 9-13 NOVEMBRE 2005)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL 1° CONGRESSO
EUCARISTICO INTERNAZIONALE UNIVERSITARIO (MURCIA, SPAGNA, 9-13 NOVEMBRE 2005)

In data 10 settembre 2005, il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato l'Em.mo Card. Jozef Tomko, Presidente del Pontificio Comitato per i Congressi Eucaristici Internazionali, Suo Inviato Speciale alle celebrazioni del 1° Congresso Eucaristico Internazionale Universitario, che si svolgerà a Murcia (Spagna) dal 9 al 13 novembre 2005.

La Missione che accompagnerà l'Em.mo Card. Jozef Tomko è composta da:

- Rev.do Don José Alberto Canovas Sánchez, Vicario Episcopale della diocesi di Cartagena e Parroco della Parrocchia di Santiago de Jumilla, nella medesima diocesi;
- Rev.do Don Luis Emilio Pascual Molina, Delegato per la Pastorale universitaria della diocesi di Cartagena.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Papa all'Inviato Speciale:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro
IOSEPHO S.R.E. Cardinali TOMKO
Pontificii Comitatus pro Eucharisticis Internationalibus
Conventibus provehendis Praesidi

Ecclesiae suae dedit Dominus Iesus sanctissimam Eucharistiam uti cor vitae christianae et fontem missionis eius evangelizatricis. Quapropter perutile videtur huius rei theologicam, liturgicam et altiore pastoralem usque fovere cognitionem, praecipue inter Ecclesiae pastores et doctores. Ipsi enim singulari modo "populos suos, ut in liturgia et praesertim in sacro Missae sacrificio partes suas fide et reverentia impleant, sollicite exhortantur et

instruunt" (*Lumen gentium* 26).

Laeto autem animo recenter percepimus proximo mense Novembri in urbe Murcia, in dioecesi Carthaginensi in Hispania, primum Congressum Eucharisticum Internationalem Universitarium celebratum iri, in quo quidam Ecclesiae Cardinales et Episcopi una cum sacerdotum, religiosorum et laicorum coetu varios eucharisticos adspectus inspicient. Simulque eodem tempore, ducentibus fidelium praestantissimis Pastoribus, variis in templis fiet studiosa eucharistici mysterii adoratio et celebratio. Libenter ergo arripimus huiusmodi opportunitatem ut Nostram confirmemus voluntatem de Eucharistia in Ecclesia maximopere aestimanda et curanda, praesertim vero cum agatur de divitiis integrae fidei sanaeque devotionis colendis et iuvenibus fideliter sapienterque easdem docendis.

Postulatum Nobis exhibitum ut illuc eminentem Praesulem mitteremus ad personam Nostram tuendam libenter accepimus et ad te, Venerabilis Frater Noster, cogitationem Nostram admovimus, qui assidue munere fungeris Praesidis Pontificii Comitatus pro Eucharisticis Internationalibus Conventibus provehendis atque totius orbis christifidelium fidem et pietatem in corde habes erga hoc praestantissimum divinumque Sacramentum.

Quamobrem, magna suffulti pastoralis sollicitudine, te **Missum Extraordinarium** fidenter constituimus ad memoratum I Congressum Eucharisticum Internationalem Universitarium diebus IX-XIII mensis Novembris celebrandum. Quo uberiores usque spiritales fructus afferre possit, Nos missionem tuam precibus comitabimur. Tu vero verba et desideria Nostra ibi transmittenda curabis et universos participes ad dignum et constantem Eucharistiae cultum eiusque in vita christiana singulare momentum meditandum, vivendum et docendum sollicito animo cohortaberis. Peculiarem autem Nostram salutationem transmittes Episcopo dioecesis Carthaginensis in Hispania ceterisque sacris Praesulibus necnon Catholicae Studiorum Universitatis Sancti Antonii Magno Cancellario cunctisque docentibus, addictis et alumniis, ac denique aliarum studiorum universitatum delegatis.

Benedictionem demum Apostolicam, supernae gratiae nuntiam et propensae Nostrae voluntatis testem, nomine Nostro omnibus huius Congressus Eucharistici celebrationes participantibus peramanter largiaris volumus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XII mensis Octobris, anno MMV, Pontificatus Nostri primo.

BENEDICTUS PP. XVI

[01355-07.02] [Testo originale: Latino]
